

# HISTORIARUM INDICARUM LIBER QUARTUSDECIMUS.

**S**UB idem tempus, quo hæc in India gerebantur, in ultimas quoque terras porta præter spem & exspectationem ingens Evangelio patuit. Angerus erat in Japone quidam, maritimo in oppido Cangoxima honesto loco natus, regni quod Saxumam appellant. Is, contracta cum Lusitanis institutoribus amicitia, de religionis Christianæ mysteriis, ac simul de Xaverii sacerdotis vita rebusque, quas gereret, multa ex iis in familiari sermone percepit. Inde paulatim & veritatis & Xaverii tanto studio est captus, uti ad eum inquirendum, vasto & ignoto feso mari absque ulla dubitatione crediderit. Profectus ducibus Lusitanis iisdem, post varios errores atque discrimina, Malacæ Xaverium (qui e Molucis Indianam repetens eadem in urbe substiterat) summa sua cum animi voluptate convenit. atque ut Pater item de Japoniis mira quædam audierat, advenarum congressu & aspectu valde lætatus, crebris deinde colloquiis varia ex iisdem sciscitari non destitut. Percommode ad singula respondebant: minimeque vulgaris inesse cunctis, ac præsertim Angero, tum indoles tum humanitas visa. ergo Xaverius, ut primum Indica negotia transegisset, Japonios (quod jam ante cogitarat) omnino adire constituit. Interea, quod Paravana & finitimæ Indorum Ecclesiæ erant illi ex itinere inspiciendæ, Angerum Goam via breviore præmisit. Joannem Beiram, Nunnum Riberium, Nicolaum Nonnium socios Molucas petere jussit. Malacensis catechismi, quem negligi aut remitti solebat, munus Vincentio Viega extero sacerdoti egregie probo concredidit. Mox ipse perquam diffici ac periculosa navigatione Cinum delatus, inde ad Cori promontorium Piscariosque trajecit fines; ac suis, qui in ea regione curabant, Antonium Criminalem communi consensu præposuit: neophytos ad perseverantiam adhortatus est, oratoria recognovit; nec levibus denuo signis atque miraculis Christianæ fidei veritatem ostendit. Morbos depulit: dæmonia exegit: mortuos quin etiam revocasse perhibetur; quod tamen ut postea fateretur ipse, quamquam gravissimorum hominum prece fatigatus, adduci non potuit. Hisce aliisque in ora Piscaria gestis rebus, ad urbem Goam summa civium gratulatione pervenit, paulo antequam Prætor Castrius e vita discederet. Huic animam agenti (ut supra significatum est) affuit. Angerum una cum famulis probe institutum, sacro intinxit latice, ac Paulum appellavit. Famulorum alter Joannes, alter Antonius nominati. ea messis Japonicæ fuere libamina. simul e sociis alios alio. Alphonsum Cyprianum genere Castellanum, in Divi Thomæ Coloniam, Gasparem Berzeum, ortum in Belgis, Armuziam destinavit. Goani collegii ac seminarii dome-

-IH

200